

32  
SIMONIS PAVLI HILSCHERI  
MEDICINAE DOCTORIS THEORET. PROFESS. PVBLICI  
ORDINARIJ

SERENISSIMIQVE DVCIS SAXONIS GOTHANI ET  
ALTENBV RGENSIS A CONSILII AVLICIS

H. T.

FACVLTATIS MEDICAE DECANI

---

PROLVSIO  
DE  
PERMV TATIONE  
L I N T E O R V M  
I N M O R B I S A C V T I S  
ET NOXIA ET SALVBRI

---

PVBLICAE INVITATIONI  
AD  
*DISSERTATIONEM INAVGVRALEM*  
DE

M O D O A G E N D I  
M E D I C A M E N T O R V M T E R R E O R V M

D. IV. SEPTEMBRIS HABENDAM  
P R A E M I S S A.

---

IENAE DOMIN. XI. POST TRINIT. MDCCXLV.

---

LITTE RIS CROEKERIANIS.

SIMONIS PAULI HILSCHERII  
MAGISTRI LINGUARUM TIBURTI PROPRIO INVENI  
ORDINE  
SERVATIONE DIGNI SIMONIS COLETTI ET  
ALTERNATIVE & TONNERS ALIIS

PROVISIO

PERMATIONE

LINTEOM

IN MORBUS ACUTIS  
ET ACUTIS

PROVISIO

PERMATIONE

LINTEOM

IN MORBUS ACUTIS

ET ACUTIS





reuem dum scriptionem de permutatione  
linteorum meditatur in morbis, e do-  
ctrina Physiologica, ad meliorem huius  
rei intelligentiam, in memoriam reuoca-  
re utile putamus, quod transpiratio, insen-  
sibilis dicta, istam denotet excretionem,  
qua inprimis ex vniuersis cutis et cuticulae poris se-  
rum corpori superfluum, particulis quibusdam salinis,  
sulphureis, & terreis imbutum, sub vaporum halitu-  
umque forma in atmosphaeram expirat.

Atque huius excretionis summa est necessitas vt  
legitime eueniat. Enimuero eadem nimis imminu-  
ta, praefertim subito, coaceruantur in Ma-Sea partes  
ipsius seroso-salinae & sulphureae, pariuntque impro-  
portionem partium eandem componentium, quare  
salinae alcalicae in sulphureas seu oleosas agentes, ac  
eandem

easdem valde resoluentes, excitant motum intestinum auctum, & calorem maiorem, simulque cor et arterias ad frequentiores systolas stimulant, ac vno verbo febres continuas pariunt: vt ideo in scholis medicorum transpiratio suppressa frequens febrium continuarum causa merito dicatur.

Ex hoc vnico etiam phaenomeno manifestum fit, quantus legitime procedentis transpirationis insensibilis sit ad sanitatem vsus, & quantum nimis immunita faciat ad febrium generationem, eiusdem vero in integrum restitutio ad felicem earum curam.

Haec cum ita sint, merito omnia illa solícite in cura febrium, ac praesertim continuarum, euitanda sunt, quae salutarem hanc excretionem nimis imminuere vel plenarie quasi suppressere valent.

Inter has vero res non solum a vulgo, sed nobilioris etiam sortis hominibus, refertur saepe linteorum, ac praesertim indusiorum, diutius paulo super corpore gestorum, cum mundis permutatio in morbis acutis, adeo, vt valde periculosa ac vel morborum exacerbationis, vel aliquando ipsius mortis causa procatartica pronuciari soleat.

Sane minime negamus, permutationem linteorum paulo sordidorum cum mundis, si nempe haec magis minusue frigida fuerint, vel inconuenienter ad corpus applicentur, et ita, vt aëri liberiori nec temperate calido ad idem accessus pateat, admodum noxiam esse, & aegrotis saepe subitam accersere mortem,  
idque

idque eo certius, si eueniat in febribus malignis, teste experientia. Etenim materia in febribus hifce e corporibus exhalans tam acris ac corrumpentis indolis est, vt eadem a leuiori etiam frigore cohibita mox animi deliquia, vel etiam motus conuulsiuos, qui saepe lethales sunt, excitet.

Alius vero effectus & successus expectandus est, imo ordinarie sequi solet a permutatione linteorum sordidorum cum mundis, hisque temperate calidis, & applicatione eorum tali, vt omnis aeris liberioris afflatus absit, hypocausto temperate calido, ianua fenestrisque probe clausis. Tantum enim abest, vt talis linteorum mundorum ac temperate calidorum prouida applicatio noxam, quin potius inligne emolumentum febre laborantibus afferat. Munda quippe lintea cum non scateant sordibus oleoso-salsis ac terrestribus, sicut sordida, abstergunt eiusmodi miculas in poris cutis haerentes atque hos obstruentes, & ita transpirationem liberiozem praestant, qua facta aegroti tales mox solamen cum iucundo corporis sensu percipiunt & se alacrius habere solent.

Atque huius rei veritatem praeter HOLLERIVM cap. de febre ardente, & RONDELETIVM de febre synocha, praeclare cognouit doctissimus IACOBVS PRIMEROSIVS, hos autores allegans, tractatu de vulgi erroribus in medicina Lib. III. de erroribus circa victus rationem sanorum & aegrorum cap. 2. inquit: Iubent autem, vt saepius aegrotantibus lintea permutentur. Nam ex diutina illorum retentione tria incommoda aegris contingunt, corporis transpiratio impeditur, sudores & sordes in indusijs retinentur, pure-

*putrescunt, foetorem contrahunt, sordes & sudores corpus obstruunt, sicque calorem ingeminant, quae tria quantum aegris sanisque incommoda sint, medici omnes norunt.*

Haec praefandi commodam nobis dedit occasionem inuitatio ad Dissertationem inauguralem de MODO AGENDI MEDICAMENTORVM TERREORVM clarissimi & dignissimi Medicinae Doctorandi,

GEORGII IACOBI BIERMANNI, cuius, laudabili more recepto, historia vitae & studiorum est praemittenda.

Primam is auram vitalem hausit Augustae Vindelicorum Anno MDCCXXII. mense Aprili. Patre vsus est IOANNE BIERMANNO, Pharmacopoeo huius loci dexterrimo, & matre CATHARINA HABISREIDINGERIA, matrona sexus sui ornamento, vtrisque nunc inter coelites agentibus.

Pietatis bonarumque litterarum fundamenta non solum praeceptores priuati, sed etiam Gymnasii Annaeani, quod ibi floret, viri clarissimi atque doctissimi posuere. Inter omnes, quorum informatione ibidem frui contigit, liceat inprimis nominasse venerandum illum senem, M. PHILIPPVM IACOBVM CROPHIVM, iam coelo redditum, Rectorem meritissimum. Cum vero *Nostro* semper animus esset arti medicae operam nauare, sic, vt ad altiora magis magisque praepararetur, Anno MDCCXXXVIII. Collegium eius loci Evangelicum, tanquam conuictor ingressus est, ibidemque plurimum reuerendi M. HENRICI METZGERI,

RI,



R I, Ephori eiusdem longe vigilantissimi, lectiones philologicas atque philosophicas summo cum fructu percepit, ita, vt anno MDCCXLI. Salanam hanc adire atque salutare posset. Huc veniens ab *illustri ICto* HEIMBURGIO, tunc temporis scepra Academica tenente, in numerum ciuium est receptus.

Antequam vero studium medicum aggredetur, necessarium duxit, ne illotis manibus quasi ad hoc opus graue accederet, antea vltcrius philologicis & philosophicis nauare operam exercitamentis.

Summa igitur voluptate in hoc studiorum genere se audiuisse recordatur Clarissimum t. t. Facultatis Philosophicae Adiunctum KREUTERVM, tradentem literas Graecas, Excellentissimum Professore REYSCHIVM, recitantem Logicam & Metaphysicam, atque illustrem Consiliarium Aulicum HAMBERGERVM, exponentem Physicam atque Mathefin.

Eundem Virum etiam in studio medico postea habuit praeceptorem fidelem, quando doceret Physiologiam, Anatomiam, Pathologiam, Semioticam, materiam medicam, methodum medendi ac praescribendi formulas, nec non chirurgiam atque chemiam.

His praelectionibus iunxit acroases perdoctas, quas instituit illustris TEICHMEYERVS, nunc beatus, Botanicas & circa medicinam legalem atque aliquot cadauerum sectiones occupatas: Sicut etiam illustris & venerabilis Facultatis nostrae & totius Academiae Senioris WEDELII lectiones publicas practicas & de metho-

methodo medendi perelegantes magno cum fructu aufcultauit.

Denique praeceptores suos *Noster* laudat etiam excellentissimum Philosophiae Professore & experientissimum medicinae Doctorem STOCKIUM in Collegio de febribus cognoscendis & curandis, ac me praelegentem praxin, ad filum *Compendii Medicinae Practici*, ab illustri HEISTERO editi, & methodum praescribendi formulas.

Iactis igitur solidis medicinae fundamentis & ad eam faciendam bene praeparatus ac, ad petitionem decenter factam, inter medicinae Candidatos ante aliquot hebdomades relatus in consuetis examinibus ita promotoribus suis satisfecit, vt omnes vnanimiter sentirent, ipsi summo iure aperiendas esse cathedrae publicae fores pro ventilanda dissertatione inaugurali supra laudata D. IV. Septembris sub vmbone *illustris Consiliarii Aulici* HAMBERGERI.

Aet us hic vt solemnior sit, rogantur illustrissimi S. R. I. Comites, Proceres Academiae, Hospitesque & Studiosa luuentus ornatissima a me, nomine Collegii medici, obseruanter & amice, vt die intimato Candidatum nostrum, propter eruditam facundiam oppido commendabilem, exoptatissima sua praesentia beare non detrectent. P. P. sub sigillo Facultat. Medic. Dominica XI. post Trinit. MDCCXL V.

(L. S.)

01. A 6529

ULB Halle  
002 928 701


3



*Rehov*







32

SIMONIS PAVLI HILSCHERI  
MEDICINAE DOCTORIS THEORET. PROFESS. PVBLICI  
ORDINARIH  
SERENISSIMIQVE DVCIS SAXONIS GOTHANI ET  
ALTENBVRGENSIS A CONSILIIIS AVLICIS  
H. T.  
FACVLTATIS MEDICAE DECANI

---

PROLYSIO  
DE  
PERMVATIONE  
LINTEORVM  
IN MORBIS ACVTIS  
ET NOXIA ET SALVBRI

---

PVBLICAE INVITATIONI  
AD  
*DISSERTATIONEM INAVGVRALEM*  
DE  
MODO AGENDI  
MEDICAMENTORVM TERREORVM  
D. IV. SEPTEMBRIS HABENDAM  
PRAEMISSA.

---

IVENAE DOMIN. XI. POST TRINIT. MDCCXLV.

---

LITTERIS CROEKERIANIS.